

Pilato, Herode &c. humanitas Christi, quibus dixit Christus Ioan. 8. Queritis me, & in peccatis vestris moriemini. Quod exponens subdit, dixi vobis quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Sed beatificat oculos mentis, quibus fide per dilectionem operante, videtur, quod discipuli viderunt. Et quid viderunt? certè quod Petrus ex omni personis confessus est, querente Christo, quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei viui. Matth. decimo sexto. Hos oculos reuelat non caro, aut sanguis, sed pater cœlestis. Sed quibus reuelat? Paruulis. Hinc Matth. vndecimo ait Christus. Coniteor tibi domine pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Beati ergo sunt oculi fidei, qua creditur Christus in carne venisse verus Deus, & homo verus. Hæc enim est fides qua iustus viuit in presenti, & sic nunc beatus in spe, in futuro beatificandus in re, cum non per fidem enigmaticam, sed cognitionem nudam, & claram videbunt patrem, & Iesum Christum, quem misit vnum solum, & verum Deum. Ioan. 17.

Cur oculi patrum, & prophetarum non dicuntur beati.

Sed forte dicitis, Nunquid & patres, & prophætæ hos oculos habuere? Nam & de patre patrum Abraam, dicit dominus, Abraam pater vester desiderauit videre diem meum, vidit, & gaudius est. Cur ego beatificat oculos discipulorum, quasi patrum oculos dicuntur beati? Ad quod breuiter dicendum, quod vtique patrum vt. re. oculi beati fuerunt, qui futurum crediderunt Christum, in qua fide saluati sunt, sed beatores oculi discipulorum, qui crediderunt Christum iam venisse in carne ad humani generis redemptionem, quia regno cœlorum propinquiores, sicut dicit apostolus. Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus, ad Rom. 13. Tunc enim restabat precium soluendum; Nunc verò solum est, & ideo regnum cœlestis tunc clausum, nunc omnibus ingredi volentibus apertum.

Non ergo oculi discipulorum, & credentium in no. testa. beatificantur quasi oculi in veteri testa existentium non fuerint in spe beati propter quod non negat patres fuisse beatos, sed magis beati sunt oculi, sublati per Christum impedimentis fruendæ beatitudinis, quam impedimentorum remotionem videre præsentem summis desiderijs patres cupierunt.

Secunda doctrina. Perfectum iter ad regnum, & facile est, Deum toto corde anima, viribus & mente diligere, omnibus aliis vrendo finaliter propter Deum. Quibus signis cognoscere potest homo sic Deum diligere? Quatuor. Primum, si plus versatur in mente cogitatio diuina, quam mundana. Secundum si plus delectatur, saltè quantum ad præciationem in Deo, & bono opere, quam in sensuali voluptate. Tertium si in agendis, & consiliis semper recurrit ad iustificationem Dei. Quartum, si plus accenditur ad vindictam iniuriæ Dei, quam iniuriæ sui, vel suorum.

Tertia doctrina. Proximum in seipsum diligere, est misericordiam proximo effectu impendere, patet ex parabola. Impenditur autem misericordia tripliciter, Dimittendo ex corde iniurias proprias. Subleuando pro posse miseras alienas, Dirigendo errantes ad iustitiæ semitas. Hæc audire, & de mortæ commendare bonum est, sed non sufficit, nisi seruetur in opere. Hoc fac, & viues. Vade, & tu fac similiter. Quis est proximus? Manifesto paradigmatè declara proximum nostrum esse omnem, cui possumus benefacere, hic est omnis non damnatus. Siquidem omni viatori beneficia salutis impendere possumus.

Errantibus informationem, fidelibus auxilia proficiendi, existentibus in purgatorio, pro eis satisfaciendo, beatis sua gaudia, nostris profectibus augendo, iuxta illud, Gaudium est in cœlis super vno peccatore penitentia agente &c. Luc. de .mo quinto. Nulli ergo deficit proximus, cui benefaciat, vt sic effectualiter diligat, dumtaxat

Perfectum iter ad regnum Dei toto corde diligere.